

XX. Et sic etiam solvitur quod opponitur ex D. Thoma; cum enim dixit usum esse actum voluntatis ut primo moventis, clare subintelligitur esse etiam ejus ut elicientis, quia est movens per actum vitalem immanentem, qui non potest esse nisi elicitus: ideoque solum D. Thomas tribuit usum potentiis exequentibus ut instrumentis, voluntati autem ut principali. Ad id quod opponitur ex auctoritate negativa Damasceni et Aristotelis dicitur, quod licet ipsi hoc nomine usus non utantur, illo tamen utitur D. Augustinus x de Trinitate, cap. xi, ubi inquit: « Uti est assumere aliquid in facultatem voluntatis, » et lib. lxxxiii quæstionum quæst. xxx: « Uti aliquid non potest, nisi animal rationis particeps. » Et iterum: « Quod Deo nullus recte utitur, sed fruitur. » Et sic omnes scholastici cum magistro in primo sententiarum, dist. i, nomine usus utuntur, et cum D. Thoma hic. Et Damascenus lib. ii fidei, cap. xxii dicit: « Quod voluntas post electionem statim se refert ad actionem, et versatur circa illam, » illud autem referre est applicare, seu uti. Et Aristoteles in de anima, c. xi dicit: « Quod voluntas dicitur movere mota; » quod movere utique est uti, et applicare alias potentias.

QUOMODO USUS SE HABEAT ERGA FINEM?

XXI. Denique ut natura istius actus, qui est uti, magis explicetur, libet advertere, quomodo intelligatur, quod S. Thomas dicit art. iii, quod usus non est de fine ultimo, scilicet ut supra diximus explicando textum, quod non est de fine ultimo formaliter, scilicet ut rationem finis exercet, eo quod uti correlative se habet ad utile, et utile

non est finis, sed ad finem, quia nihil est utile ratione sui, sed prout ad alterum, ad aliquid enim utile esse debet. Addit tamen D. Thomas in corpore articuli, quod licet simpliciter quis fruatur fine, tamen quoad hunc potest uti tali fine, quatenus refert ipsum in possessionem, quæ est finis quo, sicut avarus refert pecuniam in possessionem, et sic utitur ea. Et solutione ad secundum generaliter docet, quod requies in fine, quæ est fruitio, est usus finis.

XXII. Contra hæc dicta obstant aliquæ difficultates minoris momenti. Nam contra primum est vulgare argumentum, quia aliquando actus externi sunt fines voluntatis, et tamen voluntas utitur istis actionibus; ergo utitur fine. Major est certa, et admissa a D. Thoma supra quæstione i art. i ad secundum, et patet, quia avaro ultimus finis est acquirere pecuniam; voluptuoso luxuriari; justo reddere alteri quod suum est, etc. ergo operatio externa potest esse finis. Minor autem probatur, quia istæ actiones sunt voluntariæ; ergo ex applicatione voluntatis, quia ex se id non habent; ergo utitur illis voluntas, quia uti est applicare. Et D. Thomas docet citato loco istas actiones imperatas posse esse finem voluntatis, si autem sunt imperatæ; ergo possunt esse applicatæ, et cadentes sub usum. Contra secundum vero est, quia finis quo, seu adeptio finis ordinatur ad finem qui, seu ad rem, quæ est finis, non e contra; ergo male dicit D. Thomas uti aliquem pecunia, quia refert eam in possessionem. Et confirmatur, quia sic etiam posset beatus referre Deum ad suam fruitionem, et spes referre Deum ad se quatenus illum sibi concupiscit, et sic posset uti Deo, quod est omnino absurdum.

XXIII. Ad primum respondetur,

quod in actionibus externis in quibus voluntas constituit finem, est duo considerare, alterum quod est motus, et actionis; alterum quod est quietis, et adeptio finis, et fruitionis ejus: sicut etiam in ipso fine, et est considerare formalem rationem finis, scilicet bonum satiativum voluntatis, et materiam hujus finis, scilicet quod sit aliquid bonum increatum vel creatum, et inter bona creata, quod sit hoc vel illud, puta honor, vel divitiæ, vel voluptates, etc. Dico ergo, quod actus externi non accipiuntur ut fines formaliter, quatenus sunt motus, et actiones motæ seu imperatæ, sed quatenus sunt quies et fruitio, ita quod in illis quiescit voluntas. Non autem imperantur, nec illis utitur voluntas quatenus sunt quies, seu quatenus in illis quiescit, sed quatenus illæ operationes sunt motus, et tendentiæ ad finem. Quando enim avarus applicat manum ad acquirendam pecuniam, aut voluptuosus ad cibum, etc. talis applicatio, et usus movetur a voluntate ut fiat illa actio quatenus motus est requisitus ad adeptio finis pecuniæ, quatenus quietativa, et fruitiva est. Ipsam autem quietem, et fruitionem, neque imperat voluntas, neque utitur, sed consequitur ex ipsa consecutione finis naturaliter, licet ista consecutio fiat aliquando per aliquam actionem externam imperatam, et applicatam a voluntate, sed non imperatur quatenus est quietativa, et fruitiva in fine, sed quatenus est executio ultimi medii, quo consequitur finis, et hoc modo non est quies sed motus, et per modum medii ultimi se habet, et sic cadit sub usum, et imperium, licet eadem prout quietativa, sit finis. D. Thomas autem quando ponit actionem imperatam pro fine, loquitur de illa actione materialiter sumpta, nec ibi disputat sub qua formalitate sit

finis, et sub qua sit imperata. Non repugnat ergo in eadem materiali entitate sub una ratione materiali cadere aliquid sub imperium, et usum, non sub alia, et eundem finem ultimum quoad materiale cadere sub electione et arbitrio, non quoad formale, sicut unus eligit vitam voluptuosam, alius ambitiosam, alius pecuniosam, alius virtuosam pro fine.

XXIV. Ad secundum dicitur, quod D. Thomas dicit avarum uti pecunia referendo eam ad possessionem, vel quia pervertit fines, et habet pro magis principali possessionem, vel quia utitur pecunia sub ratione acquirendæ, referendo eam ad possessionem ut ad quietem, id est, ad ipsammet pecuniam ut quiete possessam. Unde non refert finem qui ad finem quo, sed pecuniam ut in acquisitione ultima refert ad ipsam pecuniam ut quiete possessam, quia eadem actio, et habet rationem medii, quatenus ultimum acquirens, et rationem finis ultimi, quatenus quietans in pecunia, et sic non solum est finis quo, sed etiam includit finem qui. Beatus autem non potest in ipsa fruitione, et beatitudine habere aliquid actionis productivæ finis, sed præcise adeptivæ, et fruitivæ in termino. Unde non potest uti Deo referendo ad fruitionem, sed totam fruitionem refert in Deum, quia ordinatissime procedit, quando Deum concupiscimus nobis, non volumus illum nobis ut fini, sed nobis ut subjecto; Deum autem in se volumus ut finem, sed applicandum nobis ut subjecto fruitionis.

ARTICULUS II.

In quo genere actus sit imperium?

I. Dico primo: Imperium formaliter, et executive est actus rationis;

præsupponit tamen actum voluntatis, a qua participat efficaciam ad obligandum, et cogendum, quod est quædam impulsio. Hæc sententia est D. Thomæ in præsentia quæstione xvii, art. i, et infra agendo de lege quæstione xc, art. i et agendo de oratione 2-2, quæst. lxxxiii, art. i, et communiter sequuntur ejus interpretes. Et eandem sequitur Vazquez hic disp. xlix, cap. ii, loquendo in universum de omni imperio licet ipse non admittat pro actionibus ejusdem hominis ad se ipsum imperium distinctum a iudicio regulante et præcedente electionem, ut affirmat capite quarto et vidimus articulo præcedenti. Et plures auctores citat Vazquez pro hac sententia D. Thomæ. Et plures etiam citat Suarez lib. i de legibus, cap. v, num. i, eamque sententiam reputat probabilem in fine capitis, licet ipse inclinet in oppositam loquendo de lege, quæ etiam ad rationem præcepti, seu imperii pertinet.

II. Hæc tamen sententia D. Thomæ habet tres sibi oppositas. Prima, quæ simpliciter tenet imperium consistere in actu voluntatis, licet requirat actum intellectus, tum antecedentem, quo proponitur voluntati id quod imperare debet; tum subsequentem, quo insinuat, et intimat voluntati quid agendum sit. Quæ sententia tribuitur a prædictis auctoribus Henrico, Gabrieli, Majori, Ocham, Angesto, Joanni de Medina, et aliis. Secunda est, imperium, et legem consistere in utroque actu intellectus, et voluntatis, quia uterque ad illud requiritur, et concurrat. Quæ sententia paucos habet auctores, licet attribuatur Gregorio in i, dist. xlvi, quæstione unica, et magis eam indicare videatur Gabriel in iii, dist. xxxvii, quæstione unica, in principio agens de lege: eamque sententiam probabilem, et plausibilem appellat Sua-

rez ubi supra num. xxii. Tertia sententia est pertinere ad voluntatem ex propria ratione, quatenus spiritalis potentia est, et non ex participatione intellectus, cujus proprium est ordinare, et conferre unum alteri; quod tenet Scotus in ii, dist. vi, quæst. i, et dist. xxxviii, quæst. i ad ultimum, et quodlibet xvii. Unde aliqui inferunt ipsum tenere, quod imperium directe, et formaliter pertinet ad actum voluntatis, licet ibi non exprimat, significat tamen in iii, dist. xxxvi, q. i, art. ii.

III. Quare pro stabilienda nostra sententia, quæ est D. Thomæ tria nobis probanda sunt. Primum est, actum imperii licet utriusque potentia actum exigat non tamen posse utrumque petere ex æquo, et immediate, sed ordine quodam, et ita debere alterum solum præsuppositive pertinere ad imperium, alterum formaliter. Secundum est, non posse voluntatem ex propria ratione ordinare, et conferre unum alteri, sex ex participatione intellectus, sicut nec intellectus potest ex propriis movere efficaciter, et impellere, sed ex participatione voluntatis. Tertium est, imperium materialiter, et substantialiter esse actum ordinandi, et dirigendi, licet præsupponat actum voluntatis moventis, a quo efficaciam movendi, et obligandi participat.

IV. Primum ergo ostenditur, quia quando ad aliquid constituendum concurrunt actus duplicis potentia, quæ non simul, neque ex æquo possunt concurrere, sed una essentialiter est prior altera, et cum subordinatione se habent, non possunt etiam tales actus illarum potentiarum ex æquo, et simultanee concurrere, sed cum ea subordinatione, qua potentia ipsæ a quibus procedunt, se respiciunt: constat autem quod intellectus, et voluntas essen-

tialiter, et ex propriis meritis se habent ut potentia essentialiter subordinata, quarum una est prior altera, si quidem una movet alteram, et influit in illam; ergo actus qui ex illis potentiis procedunt, non possunt ex æquo, et quasi simultanee constituere aliquod tertium, sed cum subordinatione unius ad alterum, et prioritate unius, ac posterioritate alterius, atque adeo in uno debet consistere formaliter, et in altero præsuppositive, quia unum se habet causative ad alterum, non in utroque formaliter, et immediate, quia nec immediate tales potentia concurrunt, sed una cum subordinatione ad aliam.

V. Et confirmatur, atque explicatur hoc amplius, quia licet in composito, seu constituto ex materia, et forma utrumque ex æquo concurrat, et simul ad componendum, licet ad invicem unum sit causa alterius, tamen in his quæ causant efficienter, vel finaliter, aut objective non potest stare simultas utriusque, et immediatio ex æquo in componendo, et constituendo unum tertium. Et hoc ideo, quia materia, et forma componunt per unionem, et convenientiam extremorum in uno esse, et ideo non mirum quod ex æquo, et immediate concurrant. Efficiens autem, et finis, et objectum tamquam causæ extrinsecæ se habent ad suos effectus, nec possunt cum illis componere uniendo, sed causando, et emittendo. Unde illud tertium quod componitur ex talibus causis, et effectibus repugnat quod æque immediate ex utroque componatur, sed præsuppositive supponit unum, et formaliter consistit in alio. Voluntas autem, et intellectus, eorumque actus non sic requiruntur ad imperium, aliosque actus mixtos ex utraque potentia sicut materia, et forma ut de se patet, quia unum non est subjectum alterius, sed ut

THEOLOGIA V.

movens efficienter sicut voluntas, et finaliter, seu objective sicut intellectus. Ergo mixtum ex utroque, et constitutum ex actibus illarum potentiarum non potest æque immediate ex utroque constitui, nec ipsi actus æque immediate ad illud constituendum concurrere, quia ipsæ potentia ex sua essentiali, et naturali ratione sic concurrunt, ut non æque immediate se habeant, sed unum prius, et præsuppositive, quia causative; aliud post. Imperium autem se habet ut actus mixtus, et ab utraque potentia dependens, quia requiritur ad illud, et vis movens, seu cogens, et impellens (quod voluntatis proprium est) et vis ordinans, seu dirigens, aut intimans quid agendum sit (quod proprium intellectus est) non ergo in utraque potest ex æquo, et immediate constitui, et ex eis componi.

VI. Secundum vero contra sententiam Scoti ostenditur supponendo quod ordinare, et conferre unum cum altero, seu vis ordinativa, et collativa non est ipsa substantia voluntatis, aut intellectus, sed quædam illius proprietas, nec est prædicatum genericum utriusque, quia hoc quod est ordinare, et conferre pertinet ad modum operandi, non ad substantiam operationis. Substantia enim operationis est esse actum vitalem (et hoc genericum spiritualem (hoc est magis contractum) apprehensivum, vel appetitivum (et istæ sunt differentia).) Conveniunt ergo voluntas, et intellectus in hoc, quod sint potentia vitales, spirituales, seu immateriales: differunt, quia una appetitiva est per modum inclinationis, et ponderis; alia apprehensiva per modum illuminationis, et representationis. Modus autem operandi cum ordinatione, et conferentia non est proprietas, seu accidens prædicati communis, sed differentialis; prius ergo et

per se est in una, et solum participative potest esse in altera: sicut quæcumque proprietates alicujus rei non inveniuntur extra illam nisi ex communicatione, et participatione ejus, sicut lux, et qualitates cœlestes ex participatione, et influxu cœli; calor ex participatione ignis, et sic de aliis. Modus autem ordinandi, et conferendi non est proprietas prædicati communis, quod est vitalitas, ut de se patet, quia multæ potentia vitales sunt, quæ non ordinant, neque conferunt ut corporales. Neque est proprietas prædicati communis, quia est immaterialitas, seu spiritualitas; quia potentia spirituales de se non habent ordinare, et conferre unum alteri, nisi duplici conditione stante, scilicet, quod potentia ordinans sit superior, et dirigens respectu ordinatæ, quia ordinare pertinet ad superiorem dirigentem, sicut ordinari ad inferiorem, et exequentem: et secunda, quod potentia per se primo ordinans, et conferens sit potentia componens unum cum altero (sive id fiat eminenter, et per comprehensionem, ut in Angelis, sive per discursum, ut in hominibus) quantumcumque enim aliquid sit superius altero, si non componat, et combinare sciat aliqua extrema, non potest ordinare id quod agendum est, licet possit influere in aliud: sicut cœli influunt in hæc inferiora, sed non ordinant de illis quid faciendum sit; et in brutis æstimativa influit in appetitum, et appetitus in membra, non tamen ordinat, quia nescit attribuere unum alteri, et componere. Et in ipso homine, deficiente judicio compositionis, et attributionis, ut quando quis operatur ex instinctu, voluntas non procedit cum ordine, et arbitrio, sed solum ad unum. Quare ex vi solius immaterialitatis, et spiritualitatis non potest quis ordinare de multis, et collative disponere de

illis, nisi incipiat ratio ista ordinandi a cognitione extremorum cum quadam compositione, et attributione; hac enim remota, omnes potentia spirituales se habent ad unum, et non ordinant, ergo ordinare, et conferre non convenit voluntati primo et per se, nec ratione immaterialitatis, seu spiritualitatis, quam habet, quia totum stare potest, et salvari sine hoc quod procedat ordinative, et collative, scilicet, quando procedit ex instinctu, et sine ordinatione compositionis, et judicii ex parte intellectus. Ordinare ergo primo et per se ad intellectum pertinet, quia primo et per se componit et dividit, atque comparat unum alteri: voluntas vero solum id habet participative.

VII. Et confirmatur hoc, quia voluntas ex præcisa ratione volendi, etiam spiritualiter, et immaterialiter, potest ferri in aliqua objecta necessario, in alia libere: et quando fertur necessario, ut in Deum clare visum, et in motibus subitis, operatur spiritualiter, et immaterialiter; et tamen non ordinando, neque conferendo, sed ut ligata ad unum: ergo salvatur spiritualitas, et immaterialitas sine ordinatione. Quando autem operatur libere, procedit cum ordine, et collatione, assumendo unum, et relinquendo aliud, sed hoc oritur ex indifferentia judicii, in qua radicatur libertas, qua indifferentia sublata, tollitur omnis ordinatio voluntatis. Ergo ordinare, et conferre primo et per se invenitur in intellectu, qui potest componere, et dividere, et conferre unum extremum cum alio. Et ideo recte dixit philosophus primo metaphysicorum, quod proprium minus sapientis est ordinare. Et Cajetanus in hoc articulo primo quæst. xvii dicit, quod omnis ordo ab intellectu, seu ratione proficiscitur. Nam in natura, seu in naturalibus est ordo profectus ab in-

telligentia auctoris ejus: «Quia opus naturæ est opus intelligentiæ.» In voluntariis autem, ut in electionibus, et aliis liberis actibus ordo procedit a consilio, et judicio ordinante inter multa; quo ordine rationis ablato, nihil ordinis est in voluntate, sed tantum redigitur ad unum; ergo ordinare primo et per se est proprius actus rationis.

VIII. Tertium vero quod proposuimus probatur, quia voluntas quantumcumque efficaciter aliquid velit, non potest exercere imperium nisi dirigendo ad alterum, et manifestando quid ipsa velit, ita quod res imperata primo quidem debet esse volita per electionem, et sic volita, quod ipsa voluntas impetum faciat ad actionem, seu ad executionem: sed tamen ut iste impetus, et volitio efficax deferatur ad alias personas, vel ad alias potentias in eadem persona, indiget manifestatione, et denuntiatione dicente: Fac hoc; voluntas enim non potest ea quæ intra se habet volendo aliis personis imponere ut faciant, nisi manifestando illis, ut de se patet; neque alias potentias, quæ in eodem homine sunt potest movere, nisi mediante manifestatione; quia istæ potentia vel sunt spirituales ut intellectus, vel sensitivæ ut appetitus intellectum quidem movere non potest, nisi ipse id percipiat, atque adeo nisi ei manifestet. Appetitus sensitivus moveri non potest, nisi imaginativa ei proponat, eumque dirigat, et sic debet manifestari imaginationi ut moveatur appetitus, et consequenter ut moveantur potentia, quæ ab appetitu dependet, ut loco motivæ, et aliæ sensitivæ, quæ obediunt rationi: ergo nihil movere potest voluntas sive extra se ad alios, sive intra se ad potentias, nisi mediante manifestatione dirigente, et denuntiantem quid velit fieri voluntas. Imperium autem est medium, seu ins-

trumentum, quo voluntas facit impetum ad executionem, quæ per alias potentias, vel personas, facienda est; ergo tale imperium substantialiter, et entitative exercetur media manifestatione, et dictamine de eo quod voluntas vult fieri, manifestatio autem, et dictamen est actus rationis; ergo id quod materiale, et substantiale est in imperio pertinet ad intellectum, licet motive, et originaliter a voluntate incipiat.

IX. Et confirmatur, quia non solum publicatio legis, vel imperii fit per manifestationem, et locutionem (hoc enim nemo negat, sed dicunt hoc non esse legem, et præceptum, sed signum illius) sed etiam formatio, et dictamen ipsius præcepti, et legis debet fieri per intellectum, eo quod voluntas quando facit impetum ad executionem non procedit cæco modo, sed cum arbitrio, et consideratione, et ordinatione eorum, quæ agenda sunt, et modi quo faciendum est, alias non faceret impetum modo rationali, et humano, sed sicut aliquid insensibile, quod pure exequitur, non autem ordinat, nec discernit quid agendum sit. At voluntas non ita movet, quod pure impellit, et movet, quasi exequendo, sed ordinando, et discernendo quid agendum sit: ergo ipsum præcipere, et movere format mediante ordinatione, et judicio de agendis, ut moveat cum tali vel modo, et majori vel minori conatu, prout oportuerit. Ad quod necesse est quod utatur judicio, seu cognitione tamquam medio movendi, et imperandi, alias cæco modo impelleret, et moveret. Actus ergo imperandi debet substantialiter, et entitative esse actus rationis, quia ibi consummatur, et exercetur ipsa motio ordinativa voluntatis, licet a voluntatis efficacia inchoetur.

X. Denique confirmatur hoc a